www.libtool.com.cn

# CONCILIUM CINCINNATENSE

# PROVINCIALE V




HABITUM ANNO 1889

A DIE 19 AD DIEM 26 MAII

---

CINCINNATI, O.:
KEATING & Co., 31 Longworth
1893.

CATHOLIC UNIVERSITY
OF AMERICA
LIBRARY
WASHINGTON, D. C.

www.libtool.com.cn

## LITTERAE S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE RELATE AD APPROBATIONEM CONCILII PROVINCIALIS CINCINNATENSIS V.

ROMA LI 3 LUGLIO 1893.

*Illme. ac Rme. Dne:*

Heic adnexum ad Amplitudinem Tuam mitto Decretum recognitionis Synodi Quintae Cincinnaten. quod licet inde a mense Julio anni 1891 signatum fuerit a meo praedecessore fel. mem. Emo. Card. Joanne Simeoni, expediri tamen non potuit ex mandato S. Congregationis antequam transmitteret Amplitudo Tua Statuta quaedam Dioecesana circa admissionem puerorum ad primam communionem. Hanc primam morae causam alia subsecuta est, infirmitas nempe Emi. Card. Zigliara Relatoris hujus Positionis; quo, re infecta, demortuo adduci ad exitum tandem hujusmodi negotium debuit per alium designatum Emum Relatorem. Praeter modificationes vero, quae in Decretis Synodi praedictae inductae sunt, juxta adnexum exemplar, monuit S. Congregatio inserendam esse per extensum in Actis Professionem Fidei a Patribus Concilii factam.*

Ego vero Deum precor, ut Te diutissime sospitet.

A. T.

Addictissimus Servus,

*M. Card. Ledochowski,* Praef.

†*Archiep. Larissen,* Secr.

*Pag. 14.

www.libtool.com.cn

# APPROBATIO.

## DECRETUM.

*S. Congregationis De Propaganda Fide:*

Cum anno 1889 convocati ab Archiepiscopo Cincinnatensi, sacrorum Antistites illius Provinciae Ecclesiaticae Statuum Foederatorum Americae ad Synodum Provincialem in ipsa Cincinnatensi urbe quinto celebrandam a die 19 ad diem 26 mensis Maii supradicti anni convenerint, ac plura quae ad ecclesiasticum regimen spectant utiliter sapienterque constituerint; edita a se Decreta ad hanc Sacram Congregationem Fidei Propagandae, uti par erat, expendenda atque recognoscenda miserunt; Emi. vero Patres hujus Sacri Concilii Christiano Nomini Propagando praedicta Decreta ad maturum examen revocata in Comitiis Generalibus habitis die 25 superioris mensis Maii, quibusdam inductis mutationibus in adnexo exemplari exhibitis, recensuerunt ac recognoverunt.

Quam Emorum Patrum sententiam SSmo D. N. Leoni PP. XIII relatam ab infrascripto Sacrae ejusdem Congregationis Secretario in Audientia habita die 31 memorati mensis Maii, Sanctitas Sua benigne adprobavit, ratamque habuit, ac præsens hac super re Decretum confici jussit.

Datum Romae ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide die 18 Julii An. MDCCCLXXXXI.

[L. S.] *Joannes Card*, Simeoni Praefectus.

†*Ignatius Archiep.* Tamiathen. Secrius.

www.libtool.com.cn

# Acta Concilii Cincinnatensis,

## PROVINCIALIS QUINTI,

### Cincinnati, a die 19 ad diem 26 Maii, Anno S. R. 1889, Deo Opitulante, Celebrati.

---

## LITTERAE INDICTIONIS.

NOS GULIELMUS HENRICUS

DEI MISERATIONE ET SEDIS APOSTOLICAE GRATIA ARCHIEPISCOPUS CINCINNATENSIS, PROVINCIAE CINCINNATENSIS METROPOLITA,

*Reverendissimis Fratribus Episcopis, Praepositis et Superioribus Regularibus, Ceterisque Nostrae Provinciae Personis Ecclesiasticis, quae de jure vel consuetudine Concilio Provinciali interesse debent, Salutem in Domino:*

Episcopi Cincinnatensis Provinciae, collatis inter se consiliis, arbitrati sunt expedire convocare Concilium Provinciale, praesertim quum septem anni ab ultimo concilio habito jam elapsi sint.

Quare implorato Jesu Christi clementissimo auxilio, et invocato Matris ejus Virginis Mariae, horum Statuum Foederatorum Patronae Primariae, potentissimo patrocinio, auctoritate Nostra metropolitana utentes, hisce litteris indicimus *Quintum Concilium Provinciale Cincinnatense*; illudque in Ecclesia Nostra Metropolitana St. Petri in Vinculis, Cincinnati, in diem 19$^{am}$ Maii proxime futuri, in quam incidit Dominica IV post Pascha solemniter aperiendum esse, decernimus et convocamus.

www.libtool.com.cn

Quamobrem Rev$^{mos}$ ac Ill$^{mos}$ Episopos Suffraganeos, et superiores regularium hujus Provinciae aeque ac ceteras personas ecclesiasticas, quae de jure vel consuetudine Synodo Provinciali interesse tenentur, in Domino hortamur, iisque in quantum opus est praecipimus et mandamus, ut ipsi tempore et loco a Nobis statutis, conveniant ad Concilium celebrandum. Et omnes, et singulos monemus et adhortamur ut Concilio ipsimet intersint, nisi justo retenti fuerint impedimento, quod si forte contingat, idipsum per procuratorem sui loco missum legitime probare tenebuntur.

In hoc vero Concilio Provinciali post Professionem Fidei ab omnibus solemniter emissam, juvante Spiritu Sancto, deliberabitur de societatibus vetitis, licitis, catholicis et piis; de bonis ecclesiaticis deque modo ea tenendi; de modo procedendi in causis quae Curiae Dioecesanae referuntur; de doctrina christiana parvulis tradenda, de educatione catholica; de collationibus theologicis, de debita festorum observantia, necnon de aliis disciplinam christianam spectantibus prout Nobis et Concilii Patribus expedire videbitur.

Ut autem omnia ad Omnipotentis laudem et gloriam perfici queant, atque Concilium dignum sortiatur exordium, felicemque et fructuosum progressum et exitum habeat, benedictione cœlesti maximopere indiget. Divinum autem auxilium Nobis non deerit, si humili spiritu sinceroque animo illud exoramus. Praecipimus, ergo, sacerdotibus Nostrae Dioeceseos, ut, juxta praescripta Coeremonialis Episcoporum, tribus Dominicis ante initium Concilii, seu Dominica I.ª II.ª III.ª post Pascha, populum doceant quid sit Concilium quaeque ejus utilitas, et provocent populum ad sacramentorum frequentationem et preces assiduas. Dictis Dominicis, sub pomeridiana Devotione recitent cum populo, et quidem lingua vernacula, *Litanias B. M. V.*, et orationem "*Deus qui corda fidelium*," etc.; et, a Dominica I.ª post Pasha usque ad Concilii finem, sub Missa tam cantata quam lecta, dicent, ut pro gravi et publica causa orationem "*Deus in te sperantium fortitudo*," etc., ex Dominica prima post Pentecosten; tandem post singulas Missas, dictis consuetis orationibus, recitent semel "*Pater Noster*" et "*Deus qui corda fidelium*" etc. Roga-

mus ut et Episcopi Nostri Suffraganei preces publicas pro fausto Concilii initio, progressu et exitu fundere mandent in omnibus suarum Dioeceseon Ecclesiis.

www.libtool.com.cn

Datum Cincinnati ex Aedibus Nostris Archiepiscopalibus in festo Circumcissionis D. N. I. C., die 1$^{a}$ Januarii, anno Reparatae Salutis millesimo octingentesimo octogesimo nono.

✠ *Gulielmus Henricus Elder*,
Archiepiscopus Cincinnatensis.

*Henricus Moeller*, Cancellarius.

## CONGREGATIO PRIVATA PRÆLIMINARIS.

### Sabbato die 18 Maii.

Anno reparatae salutis 1889 die duodevigesima Maii quae erat Sabbatum ante Dominicam IV. post Pascha in aedes Archiepiscopales convenerunt Ill$^{mi}$ ac Rev$^{mi}$ Provinciae Cincinnatensis Praesules necnon et Adm. Rev$^{dus}$ P. J. Gleeson, V. G., pro tempore Administrator, tamquam Procurator Episcopi Nashvillensis.

Consessui Patrum praefuit Ill$^{mus}$ Rev$^{mus}$ Guilielmus Henricus Elder, Archiepiscopus Cincinnatensis. Convenere Patres, ut Adm. Rev$^{dus}$ P. J. Gleeson, Procurator Episcopi Nashvillensis, conventibus Praesulum cum voto decisivo interesset.

Ill$^{mus}$ ac Rev$^{mus}$ Praeses nomina eorum proposuit qui officiales Concilii constituerentur, quos probarunt Patres. Designati sunt: Ill$^{mus}$ ac Rev$^{mus}$ Episcopus Wayne Castrensis, Promotor; Ill$^{mus}$ ac Rev$^{mus}$ Ep$^{us}$ Columbensis et Ill$^{mus}$ ac Rev$^{mus}$ Ep$^{us}$ Grandormensis, Judices Excusationum et Querelarum; Adm. Rev$^{di}$ Nicolaus A. Moes, S. T. D., et Thomas S. Byrne, S. T. D., Secretarii: Rev$^{dus}$ Aemilianus Sele, S. T. D., Notarius; Rev$^{di}$ Henricus Moeller, S. T. D., Joseph Pohlschneider, S. T. D., et Matthaeus O'Brien, Cæremoniarii; Rev$^{di}$ Joannes Mackey, Hermanus Kemper, Jeremias Murray et Joseph Quatman, Praefecti Hospitii; D$^{ni}$ Joseph Schmidt, Joseph Denning, Joannes Murphy, Daniel Horgan, E. Wolfstyn, Joannes Vogedes, M. Heintz, L.

Tieman, Michael Mulvihill, A. Adelman, A. Nowacek, R. Denk, Cantores; quibus absolutis finis conventui impositus est.

www.libtool.com.cn

## CONGREGATIO PUBLICA PRAELIMINARIS.

SABBATO HORA 3 P. M., DIE 18 MAII, 1889, HABITA.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis. Amen.

Anno a nativitate Domini Nostri, 1889, die Sabbati 18 Maii, hora 3 pomeridiana convenerunt omnes synodales, quotquot jam advenerant, in aedes archiepiscopales, et habita est congregatio generalis praeparatoria in presbyterio Ecclessiae Metropolitanae. Praesidebat Illustrissimus ac Reverendissimus Gulielmus Henricus Elder, Archiepiscopus Cincinnatensis. Precibus a Metropolita recitatis synodalibusque brevi allocutione salutatis, nomina, omnium qui de jure vel de consuetudine Concilio Provinciali interesse debent et Theologorum, qui a Reverendissimis Praesulibus adducti vel designati erant, a Cancellario legi jussit. Lectis nominibus idem Praeses quaesivit num elenchus completus esset aut quos praetermissos scirent praesertim eorum, qui votum decisivum habent. Nemine quem referente, Illustrissimus D. Archiepiscopus catalogum officialium concilii in congregatione privata hora 10 antemeridiana ab Episcopis praeparatum publicari mandavit, publicatumque omnes Patres approbarunt.

Postea instante Promotore, decretum de secreto servando et de libellis restituendis ex mandato praesidis a Secretario lectum fuit. Quae se facturos omnes qui aderant synodales sub fide sacerdotali promiserunt. Litterae ab aliquibus qui aberant receptae a Promotore tradebantur judicibus excusationum. Adm. Rev. Patritius Gleeson, V. G., rogatus, num litteras haberet procurationis ab Episcopo Nashvillensi in pia peregrinatione Hierosolymitana absenti, respondit, easdem jam mane coetui Episcoporum praeparatorio traditas esse.

Mox Promotor postulavit, catalogum particularium Congregationum seu Commissionum Theologorum materiamque ab unaquaque tractandam annuntiari. Sed Episcopo, cujus fuerat hunc elenchum conficere, respondente eundem nondum esse paratum, Metropolita materias

a quinque Theologorum Commissionibus tractandas annuntiavit et nomina membrorum Commissionum in prima Sessione solemni publicari, e Patrum consensu jussit. Post haec, lectio decretorum de praejudicio non afferendo, de methodo vitae in Concilio servanda, de non discedendo in crastinam diem dilata est, cum secus bis facienda esset.

Demum Illmus ac Rmus Praeses hoc promulgavit Decretum:

NOS GULIELMUS HENRICUS ELDER,

*Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Cincinnatensis:*

Illmis ac Rmis Episcopis et omnibus qui Concilio intersunt salutem in Domino:

De consensu Rmorum Patrum statuimus et decernimus Primam Sessionem Solemnem crastina die quae est Dominica quarta post Pascha in Ecclesia Metropolitana celebrandam esse hora 9 cum dimidia, ad quam igitur omnes Synodales invitamus.

*Gulielmus Henricus Elder,*
Archiepiscopus Cincinnatensis,

Quo decreto promulgato et recitato "Sub Tuum Praesidium" consessus dimissus est.

## DECRETA AD CONCILII APERITIONEM PERTINENTIA.

GULIELMUS HENRICUS, ARCHIEPISCOPUS CINCINNATENSIS.

*Pacem et Salutem in Domino.*

### DECRETUM DE APERIENDO CONCILIO.

Cum in die festo Circumcissionis D. N. J. C, die 1ª Januarii, juxta sanctiones canonicas, litteras pro Concilio hoc provinciali convocando ediderimus quibus obtemperantes, Illmi ac Rmi Episcopi caeterique omnes intra hujus Provinciae limites degentes qui de jure vel de consuetudine adesse debeant, hoc rite convenerunt; ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei et in honorem ejusdem Immaculatae Virginis Mariae, horum omnium

Statuum primariae Patronae, omniumque Sanctorum ad augmentum Catholicae Fidei atque ad disciplinae sanctae decorem promovendum: decernimus Concilium hoc provinciale Cincinnatense V die 19 Maii a. s. r. 1889, aperiendum et jam esse apertum. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen.

www.libtool.com.cn

† *Gulielmus Henricus Elder*,
Archiepiscopus Cincinnatensis.

GULIELMUS HENRICUS, ARCHIEPISCOPUS CINCINNATENSIS.

DECRETUM DE PROFESSIONE FIDEI EMITTENDA.

Tridentini Concilii Decretis, ac Pontificiis Constitutionibus libenter ac reverenter obedientes omnibus Patribus hujus Concilii in Domino injungimus, ut Fidei Professionem juxta formulam a Pio Papa IV concinnatam emittant una cum clausula de R P. Primatu deque ejus infallibili magisterio addenda juxta Pii IX f. r. praescriptum. Injungimus etiam, ut juxta ejusdem Concilii praescriptum prius legantur Decreta De Fidei Professione. Sess. 25 De Refor. Cap. II "COGIT TEMPORUM" et de Residentia, Sess. VI De Refor. Cap. I, Sess. 23, De Refor. Cap. 1, "CUM PRŒCEPTO."

† *Gulielmus Henricus Elder*,
Archiep. Cincinnatensis.

GULIELMUS HENRICUS, ARCHIEPISCOPUS CINCINNATENSIS.

DECRETUM DE OFFICIALIBUS EORUMQUE MUNERIBUS.

Quoniam ad negotia in Concilio expeditius pertractanda opus sit, ut ministri quidam, sive Officiales, designentur, qui Patribus variis in fungendis officiis praesto sint, valdeque intersit ut horum munera clare definiantur; ideo, de Patrum consensu, decernimus pro hoc Concilio Provinciali Quinto Cincinnatensi deligendos esse Officiales qui sequuntur:

I. *Secretarium*, cui adsignabitur coadjutor. Horum erit; Acta omnia Episcoporum, in privatis eorum praesertim Congregationibus, accurate describere; quae a Patribus suggeruntur in formam, si opus

fuerit, conciliarem redigere, eademque Concilio perlegere discutienda; Sessionum et Congregationum tam particularium quam generalium Acta, a Notario accepta, recognoscere, trutinae submittere ac ut decet emendare; omnia Concilii documenta caute custodire, sive sint typis impressa sive scripto exarata; eorundem exemplaria tempore opportuno Patribus tradere ac Synodalibus prout opus erit distribuere; eaque demum finitis deliberationibus adjuvante notario, in unum collecta ad S. Sedem transmittere.

II. *Notarium.* Notarii erit: quae acta fuerint in publicis Sessionibus ac Congregationibus describere, eaque ad Secretarium referre. Acta firmare et Decreta.

III. *Promotor* cujus erit, actionem Patrum tam in privatis quam in publicis Episcoporum et Synodalium Congregationibus et Sessionibus instando dirigere atque urgere, quo omnia ordinate atque expedite gerantur.

IV. *Judices Excusationum et Querelarum.* Quinque judicum Excusationum erit, eorum in prima instantia, causam judicare, qui cum Concilio jure interesse debuerint, tamen abfuerunt, procurationum instrumenta ab absentibus confecta examini submittere, omniaque ad Concilium demum referre. Querelarum autem judices "accusationes et querelas ipsis delatas audiant diligenter, et ad Nos in Concilio referant, controversias autem, antequam hoc ipsum Concilium de more dimittatur, vel componere studeant, vel ex compromisso ad arbitros rejiciant, vel ad Nos in Concilio referant." Iidem porro Judices pro Excusationibus ac pro Querelis constituentur, quo majori in agendo simplicitati et expeditioni consulatur.

V. Demum. *Magistros Caeremoniarum*, *Magistros Hospitii*, *Cantores* aliosque quorum obvia sunt munera.

### DECRETUM DE PRAEJUDICIO NON AFFERENDO.

Normae a Sacrosancto Concilio Tridentino sancitae (Sess. II.) morem gerentes, decernimus, "quod si forte contigerit aliquos debito

www.libtool.com.cn

in loco non sedere, et sententiam . . . . . . proferre, Congregationibus interesse, et alios quoscumque actus facere Concilio durante nulli propterea praejudicium generetur, nullique novum jus acquiratur;" adeo ut, post conclusum Concilium omnia circa praecedentiae quaestionem in eodem loco ac ante permaneant.

### DECRETUM DE METHODO VITAE IN CONCILIO SERVANDA.

Cum Episcopi et Sacerdotes sint Lux mundi ac Sal terrae a Domino designati, profecto deberent cum toto vitae decursu, tum vero praesertim quando in unum, afflante Spiritu Sancto sint congregati, lucere tanquam lucernae in domo Dei, et exemplo sancto, tanquam sale, corda inspectantium fidelium condire, ut videntes eorum opera bona, glorificent Patrem nostrum qui est in coelis. Quapropter memores verborum Psalmistae: "Nisi Dominus aedificaverit Domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam," studeant omnes hujus Concilii Patres ac synodales precibus assiduis ad Patrem Luminum effusis, ab eo efflagitare divinam illam sapientiam quam omnibus corde humili ac fide plena rogantibus dat affluenter et non improperat; Ipse enim "pro bona voluntate operatur in nobis et velle et perficere."

Concilio igitur durante omnes singulis diebus sacris vacent meditationibus, Sacrosanctum Sacrificium vel offerant, vel saltem eidem devote adsistant; in tota vitae ratione ita se gerant, ut omnibus sint aedificationi bonumque Christi odorem circumquaque diffundant, quo omnes ad pietatem eorum aspectu moveantur.

Quumque magno Nobis in hoc Concilio imposito operi imparibus omnino simus viribus, Confratres Nostros in Domino rogamus, quatenus sapientissimis suis consiliis Nos adjuvent, ut Nobiscum cooperante Spiritu Sancto, quae ecclesiis nostris sint majori bono, vel ad Religionem sanctam amplificandam ornandamque, vel ad corrigendos abusus, qui ex fragilitate humana forte irrepserint, atque ad disciplinam sanam roborandam et Nobis ipsis clare innotescant, et sapientibus firmentur decretis. De rebus in Concilio pertractandis omnes igitur mentes suas plena libertate pandant, ea tamen ratione, ut "fraternam charitatem

www.libtool.com.cn

invicem diligentes," omnia nostra in charitate fiant! Uti enim monet post Toletanum Concilium, Sacrosancta Tridentina Synodus: "In sententiis dicendis, in loco benedictionis considentibus Domini Sacerdotibus, nullus debeat aut immodestis vocibus perstrepere aut tumultibus perturbare; nullus etiam falsis vanisve aut obstinatis disceptationibus contendere; sed quidquid dicatur, sic mitissima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti judicii acies perturbato animo inflectatur." (Sess. II.)

"Et quoniam," monente eodem Concilio, "oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suae bene pracpositos, hortamur etiam, ut ante omnia quilibet in mensa servet sobrietatem, moderationemque ciborum, deinde cum in eo loco saepe otiosi sermones oriri soleant, ut in ipsorum Episcoporum mensis divinarum Scripturarum lectio admisceatur." (Sess. II.)

Singulis igitur diebus in mensa, praeter Sacrarum Litterarum selectum caput Martyrologium etiam perlegetur Romanum. Demum quo abundantius in Nos quae bono sint Ecclesiae deliberantes Spiritus Sancti dona descendant, enixe in Domino omnes fideles in Metropolitana hac degentes urbe rogamus, ut die noctuque instent orationibus, ecclesias frequentent, peccata sua animo contrito confiteantur, sacraque communione digne reficiantur; ut placato Domino, peccata nostra vel parentum nostrorum non amplius reminiscatur, sed tam Sacerdotibus quam concreditis ipsis gregibus omnia elargiatur bona.

### DECRETUM DE NON DISCEDENDO.

Ut consentientibus omnibus ad finem feliciter perducantur nostrae in Domino deliberationes, districte ne quis Synodalium discedat nisi finito Concilio et subscriptis ejusdem Actis atque Decretis, absque gravi ac justa causa, a Nobis post relationem Excusationum Judicum in Concilio probandam, prohibemus. Quod si hujusmodi obtinuerit licentiam, si fuerit Episcopus, non prius discedat quam Procuratorem rite constituat qui ejus gerat vices. Quod si quis, quod absit, secus egerit, poenas a sacris canonibus sancitas incurrere se sciat,

† *Gulielmus Henricus Elder,*
Archiepiscopus Cincinnatensis.

## I. SESSIO SOLEMNIS.

In nomine Domini. Amen.

www.libtool.com.cn

Die 19 Maii, hora nona cum dimidia, quemadmodum heri, in congregatione præliminari enunciatum fuit in aedes archiepiscopales convenerunt Illmi ac Rmi Praesules cum Superioribus ordinum et religiosarum congregationum aliisque, qui legitime vocati vel designati fuerant.

Hora decima, ad majoris campanae sonitum thure imposito ab Illmo. ac Rmo. Concilii Praeside, hymnoque "Veni Creator" intonato, Synodales sui ordinis vestibus induti, processione formata e domo archiepiscopali, per aream eidem adjacentem ad ecclesiam metropolitanam solemniter processerunt, psalmos cantantes, pulsantibusque interim ritu festivo campanis metropolitanae aliarumque ecclesiarum civitatis. Ecclesiam ingressi ordine convenienti in choro dispositi sunt. Deinde Illmus. et Rmus. D. Metropolita Missam Solemnem de Spiritu Sancto pontificaliter celebravit, assistentibus Adm. R'do J. C. Albrinck, V. G.,Archidiacono, Revdo. Thoma Walsh, Diacono, et Domno Michaeli Loney, Subdiacono; et ad thronum Rdis. H. Ferneding et J. B. Murray.

Absoluto Sacro, cum Illmus Episcopus Clevelandsis, designatus concionator, negotio necessario detentus synodo nondum interesset, Rmus. Praeses concionem ad populum clerumque habuit.

Deinde sessio prima hujus Concilii solemnis juxta ritum a Pontificali Romano praescriptum aperta est. Decantatis igitur de more Psalmis, Litaniis et orationibus, Illmus. et Rmus. Metropolitanus, petente promotore, ut Concilium aperiretur, decretum de Concilio aperiendo legi mandavit. Quo facto Concilium esse apertum declaratum est. Postea Illmus. ac Rmus. Promotor postulavit ut decreta Concilii Tridentini, "De Professione Fidei" et "De Residentia," legerentur. Cui petitioni, interrogante Praeside, annuerunt Patres. Itaque a Secretario elata et clara voce lecta sunt.

Decreto De Professione Fidei perlecto Metropolita, ad altare conversus, clara voce, Professionem Fidei legebat juxta formam a Pio IV. praescriptam una cum additamento Pii IX. Postea singuli Patres et synodales terni vel quaterni ad pedes Praesidis acceserunt et breviori forma assensum praebuerunt.

## PROFESSIO FIDEI.

www.libtool.com.cn

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet, Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum, ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus et sepultus est, et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes, et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum admitto; nec eam umquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in

www.libtool.com.cn

supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula quae de peccato originali et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offeri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis : atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantionem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclessiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Caetera item omnia a sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab Oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et Infallibili Magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam, usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo

adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ita ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Quo facto, Illmo ac Rmo promotore instante, lecta et probata sunt decreta " De Officialibus eorumque Muneribus," " De Praejudicio non afferendo," " De Methodo Vitae in Concilio servanda," " De non Discedendo."

Demum Promotor petiit ut, nominibus eorum qui ad Concilium vocati fuerant quique eidem vel de jure vel de consuetudine interesse debent vocatis, absentes notarentur. Cum consensu omnium Patrum Secretarius Synodalium catalogum publice perlegit. Hi ad vocationem nominum responderunt :

Illustrissimus ac Rmus D. Gulielmus Henricus Elder, Archiepiscopus Cincinnatensis, Praeses.

Illmus ac Rmus D. Gulielmus G. McCloskey, Episcopus Ludovicopolitanus.

Illmus ac Rmus D. Joseph Dwenger, Eppus Wayne Castrensis.

Illmus ac Rmus D. Franciscus Silas Chatard, Eppus. Vincennopolitanus.

Illmus ac Rmus D. Joannes Ambrosius Watterson, Eppus. Columbensis.

Illmus ac Rmus D. Henricus Joseph Richter, Eppus. Grandormensis.

Illmus ac Rmus D. Camillus P. Maes, Eppus. Covingtonensis.

Illmus ac Rmus D. Joannes Foley, Eppus. Detroitensis.

Adm. Rev. Patritius J. Gleeson V. G. Procurator, Illmi ac Revmi Joseph Rademacher, Eppi. Nashvillensis.

Reverendissimus D. Fintanus Mundwiler, O. S. B., Abbas S. Meinradi.

Rmus D. Augustus Bessonies, V. G., Praelatus domesticus Sanctitatis Suae.

Rmus D Felix M. Boff, V. G., Praelatus domesticus Sanctitatis Suae.

www.libtool.com.cn

Rmus. D. Eduardus Joos, V. G., Praelatus domesticus Sanctitatis Suae.

www.libtool.com.cn

Rmus. D. Ernestus Windthorst, Camer. Supernum.

*Vicarii Generales:*

Admod. Rev. Joannes C. Albrinck.

Admod. Rev. Ferdinandus Brossart.

*Ordinum et Religiosarum Congregationum Superiores—*

Adm Rev. P. Hieronymus Kilgenstein, Provincialis fratrum minor. S. Francisi.

Adm. Rev. P. Alexander Hughes, Provincialis C. Passionis.

Rev. P. Henricus Schapman, S. J., Rector Collegii St. Xaverii, Cincinnati.

Adm. Rev. Landolinus Beck, Provin. C. Fratrum Mariae.

Adm. Rev. Gulielmus Corbey, Provincialis C. S. Crucis.

*Superiores Seminariorum Majorum—*

Adm. Rev. Thomas S. Byrne, S. T. D, Rector S. Mariae ad Montes, Cincinnati.

Adm. Rev. Nicolaus A. Moes, S. T. D., Rector S. Mariae, Cleveland.

Adm. Rev. Isidorus Hobi, O. S. B., Rector S. Meinradi.

*Theologi—*

Rev. Hermanus C. Ferneding, pro Archiepiscopo Cincinnat.

Rev. Joannes B. Murray, pro Archiepiscopo Cincinnat.

Rev. Bernardus H. Engbers, Ph. D., pro Archiepiscopo Cincinnat.

Rev. Aemilianus Sele, S. T. J. C. D., pro Archiepiscopo Cincinnat.

Rev. A. B. Oechtering, pro Episcopo Wayne-castrensi.

Rev. E. F. Walters, pro Episcopo Wayne-castrensi.

Rev. S. Bauer, pro Episcopo Clevelandensi.

Rev. Dionysius O'Donaghue, pro Episcopo Vincennopolitano.

Rev. Gulielmus F. Hayes, pro Episcopo Columbensi.

Rev. Franciscus Dutton, pro Episcopo Columbensi

Rev. C. J. Roche, pro Episcopo Grandormensi.

Rev. Jacobus Pulcher, pro Episcopo Grandormensi.
Rev. Gulielmus Cassander, pro Episcopo Covingtonensi.
Joannes M. Mackey, Ph.D., pro Procuratore Nashvillensi.

*Absentes Notati*—

Illust. ac Rmus Richardus Gilmour, Eppus Clevelandensis.
Illust. ac Rmus Joseph Rademacher, Eppus Nashvillensis.
Rmus Benedictus Abbas Cisterc. de Trappa.
Adm. Rev. Martinus Bouchet, V. G.
Adm. Rev. J. H. Brammer, V. G.
Adm. Rev. Antonius Scheideler, V. G.
Adm. Rev. F. X. Specht, V. G.

*Ex Superioribus Ordinum et Congreg Religiosarum*—

Adm. Rev. Eduardus Sorin, Superior Generalis C. S. Crucis
Adm. Rev. Henricus Drees, Superior Generalis C. PP. Sanguinis.
Adm. Rev. D. J. Meagher, Provin. O. P.
Adm. Rev. Hugo Lilly, Provin. O P.

*Ex Rectoribus Seminariorum Majorum*—

Adm. Rev. Georgius McCloskey.

*Ex Theologis* Rev. Henricus M. Calmer, S. J., et Rev. F. Wimsey, pro Eppo. Ludovicopolitano.

Rev. Joannes F. Friedland, pro Eppo. Detroitensi.
Rev. Joannes Veale, pro Procuratore Nashvillensi.

Deinde promotor institit, ut catalogus Synodalinum in quinque commissiones distribuendorum publicaretur una cum materia a singulis tractanda. Quod factum est:

## I. COMMISSIO.

De Bonis Ecclesiasticis et titulo quo teneri debent.

Praeses: Illustrissimus ac Reverendissimus Camillus P. Maes, Episcopus Covingtonensis.

Adm. Rev. J. C. Albrinck, V. G.
Rev. E. P. Walters.
Rev. Gulielmus Cassander.

Rev. A. B. Oechtering.
Rev. Joannes F. Friedland.
www.libtool.com.cn
Rev. C. F. Roche.
Rev. Henricus M. Calmer, S. J.

## II. COMMISSIO.

De Doctrina Christiana efficaciter tradenda Parvulis et Juvenibus.

De Stipendio pro Missis celebrandis.

De Nominibus quibus designare expedit sacerdotes in variis gradibus sacri ministrii.

Praeses: Illustrissimus ac Reverendissimus Gulielmus G. McCloskey, Episcopus Ludovicopolitanus.

Reverendissimus Ernestus Windthorst.
Adm. Rev. Ferdinandus Brossart, V. G.
Adm. Rev. Isidorus Hobi, O. S. B.
Rev. Aemilianus Sele, S. T. D.
Rev. Dionysius O'Donaghue.
Rev. Gulielmus F. Hayes.
Rev. Franciscus X. Dutton.
Rev. T. C. Pulcher.
Rev. J. M. Mackey, Ph. D.
Rev. Bernardus H. Engbers, Ph. D.

## III. COMMISSIO.

De Scholis Catholicis parochialibus et privatis.

De Collationibus Ecclesiasticis.

Praeses: Illustrissimus ac Reverendissimus Joseph Dwenger, Episcopus Wayne-castrensis.

Rmus Fintanus Mundwiler, O. S. B.
Rmus Eduardus Joos, V. G., Praelatus Domesticus S. S.
Adm. Rev. J. C. Albrinck, V. G.
Adm. Rev. Gulielmus Corbey, Prov. C. S. C.
Adm. Rev. Henricus Drees, C. P. S.
Adm. Rev. Hugo Lilly, O. P.

Rev. Joannes B. Murray.

Rev. H. C. Ferneding.

www.libtool.com.cn

Rev. F. A. Wimsey.

Rev. S. Bauer.

Rev. Gulielmus F. Hayes.

Rev. J. C. Pulcher.

Rev. C. J. Roche.

## IV. COMMISSIO.

De Processu Judicali.

Praeses: Illmus ac Rmus Riccardus Gilmour, Episcopus Clevelandensis.

Rmus F. M. Boff, V. G. Praelatus Domesticus.

Adm. Rev. Isidorus Hobi, O. S. B.

Rev. Aemilianus Sele, S. T. D.

Rev. C. J. Roche.

Rev. S. Bauer.

Rev. C. P. Walters.

Rev. Gulielmus F. Hayes.

Rev. F. X. Dutton.

Rev. Gulielmus Cassander.

Rev. Joannes Veale.

## V. COMMISSIO.

De Societatibus.

Praeses: Illmus ac Rmus Franciscus Silas Chatard, Episcopus Vincennopolitanus.

Rmus Augustus Bessonies, V. G., Praelatus Domesticus.

Rmus Eduardus Joos, V. G., Praelatus Domesticus.

Adm. Rev. Hieronymus Kilgenstein, Prov. O. S. F.

Rmus Felix M. Boff, V. G., Praelatus Domesticus.

Rmus Fintan Mundwiler, O. S. B.

Adm. Rev. F. Brossart, V. G.

Rev. Joannes F. Friedland.
Rev. Joannes Veale.
www.libtool.com.cn
Rev. Joannes M. Mackey, Ph. D.
Rev. H. C. Ferneding.

Postea ad instantiam Promotoris, consentientibus Patribus, dies 24 Maii, ejusque hora nona antemeridiana pro II. Sessione Solemni habenda statuta est, similiterque Missa de Requiem pro Episcopis Provinciae inde a Concilio Provinciali IV. defunctis, die 21 Maii, hora nona antemeridiana celebranda indicta est.

Promulgata est etiam Congregatio privata pro die 20 hora nona antemeridiana et prima Congregatio generalis habenda hora tertia cum dimidia ejusdem diei. His omnibus ex ordine peractis, Promotor institit pro actis Sessionis conficiendis eaque se confecturum promisit Notarius.

Impertita a Metropolita solemni benedictione, Synodales ad aedes archiepiscopales recesserunt.

## PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

### HABITA FERIA II DIE 20 MAII.

Hora nona cum dimidia A. M. in aedes Archiepiscopales convenerunt Patres rochetto et mozzetta induti, Praeside Illmo. ac Revmo Gulielmo Henrico Archiepiscopo Cincinnatensi. Abfuit Illmus. ac Revmus. Episcopus Clevelandensis gravi negotio impeditus. Interfuit quoque superpelliceo indutus Adm. Revdus. Patritius J. Gleeson, Procurator Episcopi Nashvillensis qui piam peregrinationem Hierosolymitanam peragebat. Adsidebat cum voce consultiva Revmus. Fintan Mundwiler, O. S. B. Abbas, rochetto et propria mozzetta indutus. Omnia ut supra in subsequentibus Congregationibus etiam observata sunt. Aderant etiam Secretarii. Abfuere Revmus. Abbas M Benedictus O. C. et Adm. Revdus. Eduardus Sorin, Superior Generalis C. S. S. C.

Precibus, quae in libello cui titulo "Praxis Synodalis" reperiuntur, absolutis, proposuit Illmus ac Rmus Epus Columbensis ut inter

Judices Excusationum et Querelarum duo Secretarii et Notarius cooptarentur, quod Patribus placuit.

www.libtool.com.cn

Deinde relatione facta a Praeside Primae Commissionis de iis quae in eadem peracta sunt agi coeptum est de bonis Ecclesiasticis deque titulo quo eadem teneantur oportet. Cum vero de hac materia in Congregatione Generali Theologorum non adhuc tractatum fuerit Patribus visum est satius esse nihil de eadem definire.

Interim Illmus. ac Rmus. Praeses quasdem quaestiones Patribus aperuit ut de iisdem eorum consilia exquireret. His expeditis et precibus fusis, finis huic conventui impositus est.

## PRIMA CONGREGATIO GENERALIS.

### HORA 3½ P. M. FERIA II., DIE 20 MAII HABITA.

Hora 3½ P. M. in ecclesiam metropolitanam convenerunt omnes Synodales vestibus sui ordinis induti. Praemissa a Praeside invocatione Spiritus Sancti, Promotor institit, ut qui Congregationi Praeliminari non interfuerunt, promissionem de secreto servando libellisque restituendis et Professionem Fidei emitterent. Sed professione Fidei eorum interim ad proximam Solemnem Sessionem ex consensu Patrum dilata, secretum ac libellorum restitutionem tantum spoponderunt. Fuerunt autem :

Adm. Rev. Hugo Lilly, Vicarius Fratrum Praedicatorum.
Rev. Alexander Hughes, Superior Congregationis Passionis.
Rev. Franciscus Wimsey.
Rev. Franciscus X. Dutton.
Rev. Henricus M. Calmer, S. J.

Postea lecta et discussa fuit Primae Commissionis relatio : De bonis ecclesiasticis, etc. Metropolita ad faciendas, si ita videretur, animadversiones omnes synodales hortatus iterum iterumque monuit ut singuli theologi, quid de materia subjecta sentirent, liberrime exprimerent. Qua facultate multi usi sunt. Consultatione et discussione usque ad horam 5½ protracta, Promotor dilationem in crastinum diem petiit. Annuntiata Missa de Requiem pro Episcopis ab ultimo Con-

cilio Provinciali defunctis, post quam sessiones privatae habendae essent et secunda Sessio Generalis hora $3\frac{1}{2}$ P. M. et Oratione "Sub tuum praesidium," dicta, conventui hodierno finem imposuit Praeses.

### MISSA DE REQUIEM PRO PRAESULIBUS DEFUNCTIS.

Hora nona Feriae III. quae erat dies 21 Maii, Patres Concilii talari et mozzetta nigri coloris, theologi ceterique presbyteri vero superpelliceo induti, assistebant solemni Missae de Requiem, quam celebravit Illmus. ac Rmus. Franciscus Silas Chatard Episcopus Vincennopolitanus ab Archiepiscopo invitatus: Presbytero assistente Adm. Rev. Thoma S. Byrne S. T. D., rectore Seminarii majoris Sanctae Mariae ad Montes; Diacono Rev. Thoma Walsh, et Subdiacono Domno Augusto Heiman. Archiepiscopo, Cappa Magna induto, ad Thronum assistebat Adm. Rev. J. C. Albrinck V. G. cum Rmis. Domnis Augusto Bessonies et Eduardo Joos, Praelatis domesticis Sanctitatis Suae. Missa finita Illmus. Episcopus Ludovicopolitanus in piam memoriam Joannis Baptistae Purcell, Archiepiscopi Cincinnatensis et Augusti Mariae Toebbe, Episcopi Covingtonensis, qui ab ultimo Concilio Provinciali obierunt, eloquentem sermonem habuit.

Post concionem absolutiones consuetas ad castrum doloris peregerunt secundum Caerimonialis Episcoporum rubricas quattuor Episcopi seniores: Ludovicopolitanus, Wayne-Castrensis, Vincennopolitanus, Columbensis una cum Metropolitano.

## SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

### HABITA FERIA III, DIE 21 MAII, HORA $11\frac{1}{2}$ A. M.

Absoluto Sacro Piaculari pro Praesulibus qui post ultimum celebratum Concilium vita decessere, convenerunt Patres more solito.

Acta ultimae Congregationis Privatae lecta et, correctis corrigendis, probata sunt. Deinde Epus. Columbensis, Praeses Congregationis Excusationum, retulit causas Illmi. ac Rmi. Nashvillensis, Rmi. M. Benedicti, O. C. Abbatis; Admodum Revdorum. Hugonis F. Lilly, O. P. Procuratoris Adm. Revdi. D. J. Meagher, O. P. Provin-

cialis ; Georgii McCloskey dioecesis Ludovicopolitanae V. G ; et Henrici Drees, Superioris Congregationis PP. S., qui ab Illmo. ac Rmo. Praeside Concilii vocati non advenerant. Judices Excusationum causas allatas pro validis et legitimis habuerunt, quorum judicium Patres ratum habuerunt. Quaerelam a quodam sacerdote ad Concilium delatam Patres non esse admittendam censuere cum hodie munus excipiendi in Synodo causas criminosas passim conquieverit. Quibus expeditis, comitiis finis impositus est, et proxima Congregatio privata indicta ad horam nonam cum dimidia diei sequentis.

www.libtool.com.cn

## SECUNDA CONGREGATIO GENERALIS.

### HABITA FERIA III, HORA 3½ P. M.

Statuta hora omnes Synodales in Ecclesiam Metropolitanam ad sua loca convenerunt et praemissis praemittendis celebrata est Secunda Congregatio publica. Secretarius, postulante Illmo. ac Rmo. Promotore, compendiariam relationem Primae Congregationis legit, quae ab omnibus Patribus approbata fuit. Deinceps eodem Illmo. ac Rvmo. Promotore instante, Secunda Commissio retulit quid de materia sibi assignata sentiret et quae decreta proponeret. Relatio primum lecta per partes discussa est. Illmus. ac Rmus. Promotor rogavit ut Schema ex manuscripto lectum typis imprimeretur singulisque Patribus exemplar daretur. Quod et promittebat Secretarius.

Annuntiatis pro hora nona feriae quartae privatis sessionibus tum Episcoporum tum theologorum et tertia congregatione generali hora 3½ P. M. habenda Illustrissimus Praeses, nomine. Adm. Rev Rectoris Seminarii majoris S Mariae ad Montes, omnes synodales ad prandium in eodem Seminario hora I feria IV ex animo invitavit, ubi etiam si patribus ita placuerit, tertia generalis congregatio haberi possit. Patres omnes promiserunt Recitato "Sub tuum praesidium" secunda congregatio generalis in pace dimissa fuit.

## TERTIA CONGREGATIO PRIVATA,

HABITA FERIA IV, DIE 22 MAII, HORA $9\frac{1}{2}$.

www.libtool.com.cn

Hora statuta consederunt Patres una cum Secretariis, et acta praecedentis Congregationis, emendatis emendandis, probarunt. Cum Adm. Revdum Eduardum Sorin Superiorem Generalem Congregationis S. S. C. in Europa ob graves causas absentem esse Illmus. ac Rmus. Epus. Wayne Castrensis testatus fuisset eum uti legitime excusatem Patres habuere.

Quaestione proposita num Superiores Religiosorum infirma valetudine vel alia de causa domi detenti teneantur procuratores deputare, Patres censuerunt eos non teneri.

Decretum I. de Decretis Concilii Plen. Balt. III solemniter promulgandis, lectum est et approbatum; deinde Decretum II, schematis Commissionis I. scilicet de Decretis Conciliorum Plen. Balt. et Provincialium nec non et statutis dioecesanis pro norma adhibendis in Seminariis et in juniorum sacerdotum examinibus, esse rejiciendum Patribus visum est, cum in conciliis superioribus de hoc jam satis provisum sit.

Ad examen dein revocatum est Decretum III. de modo quo securitati bonorum Communitatum religiosarum melius consulatur, atque re fuse discussa et adjectis quibusdam verbis ad sensum Patrum melius et clarius exprimendum, nemine renuente, comprobatum est. Postea lectum est et ad trutinam revocatum Decretum schematis quo cavetur ne homines privati bona Ecclesiastica nomine ac jure proprio possideant. Re mature perpensa, idem, sicuti jacebat, non esse probandum Patres putarunt sed novum, quod incipit "Quoniam ad Ordinarium jure divino" in ejus locum suffecerunt et probarunt.

Materiam paragraphi tertiae sub Decreto V. Schematis Commissionis I. ut prostat, nemine contradicente, probarunt Patres.

Patribus placuit nuncium telegraphicum ad Sanctum Patrem D. N. Leonem P. P. XIII f. r. mittere quod his concipitur verbis :

*Beatissime Pater* :

Archiepiscopus et Eppi. Provinciae Cincinnatensis in Concilio coadunati suam erga Te et Sanctam Sedem obedientiam et reverentiam

toto corde profitentes humiliter petunt ut Benedictionem Apostolicam sibi ceterisque Synodalibus atque fidelibus pro tua gratia impertiri digneris.

www.libtool.com.cn

ELDER.

Litterae Pastorales ad clerum et populum tunc ex parte lectae et juxta vota Patrum emendatae et castigatae sunt sed cum, antequam ad finem perventum fuerit, hora coenae advenisset sessio prorogata fuit ad horam nonam cum dimidia sequentis diei, et precibus persolutis, omnes recesserunt.

## TERTIA CONGREGATIO GENERALIS,

FERIA IV. HORA $3\frac{1}{2}$ P. M.

Reversi e seminario synodales, excepto Rmo. Eppo. Covingtonensi, hora statuta in presbyterium ecclesiae metropolitanae convenerunt, ubi oratione consueta dicta protocollum hesternae congregationis lectum paullum correctum approbatum est. Cum secunda commissio quaestionem de titulis "rectoris" "pastoris" tribuendis sacerdotibus curatis antea praetermissam nondum discussisset, tertia commissio promotore instante, et praeside annuente per secretarium renuntiavit, quid de materia sibi assignata sentiret et commendaret. Tota materia deinceps fuit plene discussa. Quaestio autem de conferentiis pastoralibus, suggerente Epo. Vincennopolitano, remissa fuit ad theologos pro diligentiori discussione.

Postea promotori roganti, num quarta commissio materiam sibi assignatam *De judiciis* discussisset responsum est praesidem Commissionis, negotio quodam necessario adhuc in remotis detinere sed eadem nocte ejus adventum expectari. Patribus tamen placuit mandare, ut quarta commissio praeside Epo. Grandormensi cras hora 9 materiam propositam discuteret et quid sibi videretur quam primum ad Congregationem referret. Demum, promotore instante, Rev. F. Friedland theologus Detroitensis, qui infirmitate domi detentus, prima vice aderat secretum se servaturum libellosque restituturum coram Metropolita promisit, fidei professionem emissurus in II. sessione solemni feria VI.

Proxima sessione generali in horam $3\frac{1}{2}$ P. M. sequentis diei indicta haec Congregatio post pias ad B. M. V. preces soluta est.

## QUARTA CONGREGATIO PRIVATA,

### HABITA FERIA V. DIE 23 MAII, HORA $9\frac{1}{2}$.

Huic Congregationi interfuere omnes Patres, excepto Epo. Ludovicopolitano, qui nuntio excepto orphanotrophium suae dioeceseos fuisse igne deletum domum reversus est. Adfuit etiam Epus. Clevelandensis hucusque gravibus nogotiis domi detentus. Deinde brevi relatione eorum quae in ultima sessione acta fuerant, lecta et probata, schema Commissionis II. cum Theologorum animadversionibus recitatum Patrum deliberationi submissum fuit. In hoc Schemate agebatur de doctrina Christiana efficaciter tradenda, de stipendiis pro Missis, et de titulis quibus sacerdotes qui in dioecesi variis muneribus funguntur, insigniri expedit. In primo ad examen revocata fuit sectio prima et re mature perpensa placuit Patribus praeambulum una cum paragraphis prima et secunda expungere, cum hac de re alias satis provisum esset eidemque Eppi. singuli providere possent. Ad paragraphum tertiam quod spectat, de hac materia jam in Congregatione superiore tractatum est. In paragrapho quinta agebatur de tollenda obligatione Catechismum a Concilio Balt. III. praescriptum adhibendi in doctrina Christiana pueris tradenda et Patres nil hac de re esse statuendum duxere, cum in futura editione ea quae in eodem Catechismo minus recta habentur ad trutinam revocari et si expediat corrigi possint.

Iis expeditis agi coeptum est de sectione, *a*) sub titulo de Stipendiis pro Missis. Patres censuerunt esse relinquendum singulis Episcopis in Synodis dioecesanis quid justum sit hac de re statuere. Patres discutiendam aggressi sunt sectionem, *b*) sub eodem titulo, scilicet, de eleemosynis a fidelibus contributis pro una Missa aut pro certo Missarum numero quae in communi ad intentionem contribuentium applicandae sunt. Re in longum et latum disputata Patres ad praecavendum ne fidelibus scandalum offeratur vel species avaritiae in re tam sancta sacerdotibus irrogetur statuerunt hunc abusum e medio esse tollendum

www.libtool.com.cn

in eumque finem tulerunt Decretum quod incipit " Ubicumque die Commemorationis." www.libtool.com.cn Tunc ad manus pervenit nuntium telegraphicum a Summo Pontifice f. r. quod omnibus surgentibus, ab Illmo. ac Rmo. Praeside perlectum est. Hisce concipitur verbis:

ROMA, DIE 23 MAII, 1889.

*Rmo. Elder, Archiepiscopo Cincinnatensi:*

Petitam pro Archiepiscopo, Episcopis ceterisque Synodalibus ac fidelibus Apostolicam Benedictionem Summus Pontifex grato libentique animo impertiri dignatus est.

CARDINALIS RAMPOLLA.

Quo lecto trutinae submissa est ultima Sectio hujus schematis: De titulis tribuendis sacerdotibus in variis gradibus ministerii. Placuit Patribus hac de re statuere sicut in Decreto V. prostat. Hisce peractis et fusis precibus terminata est Congregatio, indicta Congregatione proxima ad vesperam hora septima.

## QUARTA CONGREGATIO GENERALIS,

FERIA V, HORA 3½ P. M. HABITA.

Loco, hora et ritu consueto aperta est haec quarta congregatio cui et Rmus. Epus. Clevelandensis diu desideratus adfuit sed a qua absens erat Rmus. Epus. Ludovicopolitanus, qui ob orphanotrophium suum infeliciter igne consumptum subito domum revocatus erat. Praecedentis congregationis actis lectis et approbatis et quarta commissione nondum parata, quinta commissio relationem suam discussioni subjecit. Tota materia a theologis et praesulibus discussa, secunda commissio, quid sibi videretur de titulis " rectoris " et " pastoris " missionaris tribuendis examinandum ad consessum generalem retulit. Tandem nuntium telegraphicum a Sumo. Pontifice Leone XIII receptum omnes synodales stantes a Secretario lectum grato animo audierunt.

Notificato secunda Sessione Solemni feria VI, hora 9 habenda et quinta et ultima Congregatione generali hora 3½ P. M. Synodales implorando B. M. V. praesidium recesserunt.

www.libtool.com.cn

## QUINTA CONGREGATIO PRIVATA,

### HABITA FERIA V, DIE 23 MAII, HORA 7 P. M.

Omnibus de more peractis et succincta enarratione eorum quae in ultima Congregatione gesta fuerant, lecta et probata, absente Epo. Ludovicopolitano, deliberationi Patrum submissa est Sectio prima schematis Commissionis III, ubi proponebatur ut ii qui scholis parochialibus praesunt singulis annis conveniant et de mediis ad scholas promovendas consilia inter sese conferant. Sed cum hujusmodi conventus essent dubiae utilitatis et nova Eppis. et sacerdotibus onera imponerent, Patres eosdem non habendos esse censuerunt.

Deinde ad examen revocata est Sectio secunda et Patres censuerunt in locum ejusdem esse substituendum Decretum VII uti prostat inter Decreta lata, cujus initium est " Casu quo pueri."

Venit tunc consideranda Sectio III " De Collationibus Theologicis" sed cum in Concilio Balt. III ceterisque Conciliis sat provisum sit nil hac de re in Decretis statuendum esse duxerunt Patres, rogarunt tamen ut Archiepiscopus nonnullos ex Theologis ad instar Commissionis designaret, scientia peritos et experientia doctos qui consilia inter se conferendo ordinem agendorum in collationibus servandum conficerent eo fine ut sacerdotes uberiores inde haurirent fructus et ut idem Eppis. inservire posset pro norma in ordinandis collationibus theologicis. Juxta vota fecit Praeses.

Schema Commissionis *De Societatibus* ad examinandum in medium prolatum est et Patribus visum est expungere totam primam Sectionem ea ratione ducti quod superiora Concilia decreta opportuna pro rei necessitate tulerint.

Sectione ad regimen religiosum societatum spectante satis excussa Patres Decreta et praeambulum quae ut in schemate prostant rata habuerunt. Quibus expeditis, more solito Congregatio terminata est.

## SECUNDA SESSIO SOLEMNIS.

www.libtool.com.cn

FERIA VI, HORA 9 HABITA.

In nomine Domini. Amen.

